





1779, 2

GEORGII LVDOVICI BOEHMERI  
ORATIO

de

*Jure cognoscendi et statuendi  
de tolerandis his, qui communes religionum  
in Germania approbatarum doctrinas  
publice impugnant*

P. 369

H A B I T A

INTER SACRA NATALIS ACADEMIAE  
GEORGIAE AVGVSTAE ANNIVERSARIA

D. XVII. SEPT. ANNI c1o 1o cc LXXIX.

C V M

HONORVM CANDIDATIS SVMMOS IN VTROQVE  
IVRE HONORES CONFERRET.

GOETTINGAE

Litteris JO. CHRIST. DIETERICH  
ACAD. TYPOGR.





*Magnifice Academiae Prorektor,  
Illustrissimi S. R. I. Comites,  
Viri summe Reuerendi, Illustres, Consultissimi,  
Experientissimi, Amplissimi,  
Commilitones Generosissimi, Nobilissimi, Humanissimi,  
Auditores omnium Ordinum Honoratissimi!*

**R**ediisse diem natalem, quem Academia a felicissimis auspiciis,  
quibus inaugurata est, ducit quadragesimum secundum,  
rediisse eundem saluo GEORGIO III. Rege Augustissimo, Recto-  
re Academiae suae Magnificentissimo, incolumi regnatrice familia,  
et florentibus per haec ipsa rebus patriae et academiae, cuncti laeta-  
bundi gratulamur. Quae superiori anno inter belli discrimina, quibus

magnam Germaniae partem afflictam vidimus, nuncupauimus Vota, vt Deus saluam praestaret academiam, neque quidquam bellicorum malorum, vt inter ista tempora fere fieri solet, quadam velut contagione ad Musarum domicilium peruenire pateretur, haec [Dei beneficio soluta laetamur, cum, quod exspectari vix poterat, bellum ipsum, inter primos eius impetus, eosdemque vehementes, **HEROVM GERMANIAE** sapientia moderatione et aequitate, exemplo in omnem aetatem memorabili, eodem ipso, quo flagrare coepit, anno confectum, et foedere, quod pactum est *Teschenii*, pax reddita sit Germaniae.

Qui inde ad vniuersum Imperium R. G. transit publicae felicitatis fructus, eodem fruuntur Musarum domicilia, in communem Imperii vtilitatem constituta; eademque commoda ad nos peruenisse, grato animi sensu percipimus, dum Academiam non saluam modo, sed et magis efflorescentem, incolunitate eorum, qui litterarum studia tractant, beatam, numero ciuium auctam, et in maioris splendoris spem euectam esse, impense gaudemus.

Quod vero inter plurima diuinae prouidentiae beneficia primo loco numerandum erat, saluum adoramus *Patrem Patriae indulgentissimum*; impense laetamur incolunitate eius, cuius in debellandis subditis seditiosis, et, qui in eorum partes transeunt, hostibus animi magnitudinem, in defensione regnorum suorum vim atque virtutem, et inter discrimina, in quae haec reuocata sunt, moderationem et constantiam, atque in rebus ambiguis restituen-

dis

dis prouidentiam veneramur, Deum immortalem *precati*, vt propiti-  
 us sit *Regi Optimo*, causamque eius tueatur in frangendis re-  
 primendisque hostium consiliis et moliminibus, ipsique terra mari-  
 que victricia arma, et quae sceptro eius reguntur, terris securita-  
 tem tranquillitatem et pacem impertiatur.

Quae sunt publica vota, haec inter sacra natalis Academiae  
 anniuersaria Summo Numini commendata esse cupimus: eaque oc-  
 cupant pium animum, dum mihi contingat huic actioni interesse,  
 huiusque diei solennitatem celebrare, honestissimis literarum prae-  
 miis distribuendis.

Cuius rei auspicia cum oratione capienda et apud Vos, Au-  
 ditores, verba dicenda sint: de argumento, quod vel hoc vel  
 superiori anno vehementer in quaestionem incidit, de argumento,  
 quod tolerantiae rationem concernit, de eo, inquam, dicere con-  
 fitui, penes quem in Imperio Romano Germanico sit ius cognos-  
 cendi et statuendi de tolerandis his, qui communes religionum  
 approbatarum doctrinas publice impugnant. Quod dum facio, Vos,  
 Auditores, rogo atque obsecro, vt ea de re breuiter strictissime  
 dicturo et summa capita velut indice digito demonstraturo, aequos  
 animos fauentesque praebatis.

Tolerantiam personarum intelligo, non religionis eiusque ex-  
 ercitiis: inter quae quantum interfit, nemini ignorari existimo,

cum illa non nisi ius societatis feruet tolerato, finatque eum vel ecclesiae vel reipublicae membrum esse ea lege, quam dicere vitium est; *religionis* vero tolerantia latius pateat, et locum faciat cultui ex noua religionis formula per rempublicam exercendo, eoque nomine in Societatem abire permittat, eaque, quae ad finem Societatis pertinent, tractare atque definire.

De tolerantia, inquam, hominum nascitur disputatio, qui etiam si religioni approbatae se addictos profiteantur, in publicum tamen doctrinas produnt, non eius modo, quam prae se ferunt, verum etiam communibus religionum approbatarum principiis aduersas.

In qua quaestione, non quid tribuendum sit *sentiendi libertati*, quam conuellere graue est, nec de eo, quam parum *rectioribus principis* conueniat opinio, ab iisdem proposita, cuius discussio ad *veritatis* tribunal reuocanda est, nec de eo porro, vtrum ex *rerum diuinarum humanarum publicarum priuatarumque* dignitate esse censendum sit, indulgere huiusmodi hominibus liberam opiniones spargendi et diffeminandi facultatem, quod prudentiae publicae regulis metiendum est, sed de eo tantum agitur, penes quem sit de eorum tolerantia decernendi arbitrium.

Non nouum esse illud genus hominum, sed vel a nascentis ecclesiae christianae primordiis fuisse, qui prima, eaque communia ecclesiae principia adorirentur, neminem, qui vel pa-  
rum



rum imbutus est rerum in ecclesia gestarum notitia, ignorare arbitror.

In exemplorum vbertate illud testatissimum est, non ad secularia Imperatorum principumque tribunalia hanc causam esse reuocatum, sed ad *ecclesiam* eiusque qui eam repraesentant antistites, ad concilia, inquam, olim pertinuisse, de ipsis non modo doctrinis sed et de eo inprimis iudicium inferre, vtrum ei, qui alienam ab eius rationibus doctrinam profitetur, venia erroris danda, an vero ab ecclesia arcendus sit. Ad *imperii civilis* ius spectabat, de eo decernere, vtrum ab ecclesia exclusis permittere iura societatis civilis, an ea negare, ex re publica videretur. *Arium*, in *Concilio* prius damnatum, exulem esse iussim *decreto Constantini M.* sed et eundem eiusdem Imperatoris auctoritate ab exilio reuocatum esse, historia testis est.

Quandoquidem Potestatis ecclesiasticae, quae in definiendis ecclesiae causis versatur, rationes circumspicimus, nulla profus causa cum ipsius ecclesiae prima constitutione, eius fine, omnique eius politia nexu arctiori coniuncta est, quam quae concernit iura et obligationes, quae sunt inter *ecclesiam* et eius *membra* conuentione vel expressa vel tacita constituta, maxime de his, quae ad eius vel doctrinam publicam vel disciplinam pertinent.

Quando ergo de eo agitur, vtrum, qui ecclesiae eiusue muneribus obeundis addictus est, doctrinas profiteatur vel ambiguas  
vel

vel suspectas, vel a formula ecclesiae plane abhorrentes, si de eo porro quaeritur, quae vel hominis emendandi, vel commodis ecclesiae prospiciendi ratio sit, vtrumne iuribus ecclesiae frui, vel officio defungi amplius queat, an huius administratione sacrisue ecclesiae ei sit interdicens, horum omnium cognitio ac iudicium est penes *solam ecclesiam*, cuius est membrum.

Quod principium cum sit seculorum vsu et obseruantia, legumque auctoritate firmatum: ecquis eodem iure frui dubitauerit ecclesias, in Germania approbatas, sublimi iurisdictione ecclesiastica, quae in his causis versatur, instructas.

Est hoc iudicium in ecclesia Romano catholica penes suae ecclesiae antistites, singularum Prouinciarum vel Dioecesum capita, idque eorum adeo praecipuum et proprium ius est, vt a nullo Imperii iudicio illud vsurpari patiantur. Quod itaque vi *aeterni*, quod iura *vtriusque ecclesiae* in Germania paria esse sancit, principii efficitur, idem ius atque arbitrium est *Ecclesiae Evangelicae*; eoque iure potiuntur, qui sublimi per territorii sui ecclesiam polent iurisdictione ecclesiastica, *Principes Statusque Imperii Evangelici*, vt siue de reprimendis, qui ad labefactandam doctrinam publicam pertinent, conatibus, siue de status ecclesiastici, quo quisque in ecclesia fruatur, rationibus, siue de munerum ecclesiasticorum administratione agatur, penes *eos solos* ea de re cognoscendi statuendique sit potestas.

In qua cognitione nihil omnino interest, vtrum quidquam proponatur, quod eius tantum ecclesiae, cui quis addictus est, symbolis, an his aduersum sit, in quibus consentiunt ceterae ecclesiae.

Si enim ratio, quod aduersus ecclesiae formulam nihil publice tradendum sit, in eo posita est, tum quod istis doctrinis, tamquam vinculo vnionis, ecclesia consociata sit, tum quod ad easdem agnoscendas ipso accessu ad eam vnusquisque se conuentionis lege obstringat: plus quam manifestum est, in iudicio, quod ea de re penes ecclesiam est, nihil referre, quod quae impugnantur, sint simul alterius ecclesiae symbola, cum alienae ecclesiae doctrinis non minus quam alterius reipublicae legibus quisquam obstringatur. Quis vero iudicium principis de moliminibus, aduersus territorii leges susceptis, ex eo in dubium vocandum esse existimaerit, quod aduersus communes Imperii leges simul actum esse dicatur.

Quae cum ita sese habeant, iudicia Imperii non sine *Principum Statuumque Imp.* iniuria ad se reuocant cognitionem de his, quae homines, officiorum suorum, quibus in ecclesia Euangelica obstringuntur, immemores aduersus communia religionis praecepta in publicum emittunt. Non loquor de librorum censura, quae non minus ad singulos Imperii Status in suo vnus cuiusque territorio, quam ad Imperatorem spectat in imperio, sed de eo iudicio, quod, siue *reos* consideres, de his instituitur, qui membro-

B

rum

rum ecclesiae ciuiumque territorii iure adhuc fruuntur, nec alium nisi Principem iudicem immediatum agnoscunt; siue ipsius *causae* indolem spectes, de causa ecclesiastica mouetur, solius Principis Euangelici iurisdictioni ecclesiasticae obnoxia, siue *fori* rationes aestumes, ad illud ius fori labestandum pertinet, quod vnique Imperii Statui in sui territorii ciues immediate competit, tot imperii functionibus ita defensum, vt quo minus ad illud imminuendum quidquam a iudiciis imperii agatur, ipse imperator se effecturum esse, capitulationis lege promiserit.

Quousque patet, quae per *Orbem Christianum* se diffundit, ecclesiae Christianae *aduocacia Imperialis*, quantumuis publicam, ne quid detrimenti religio christiana capiat, curam publicamque id interpositis studiis, consiliis, et officiis efficiendi potestatem contineat, non tamen suo momento eo valitura est, vt vel de causis ecclesiasticis ius dicendi, vel de his, qui Antistitem ecclesiae ordinumque imp. iurisdictioni immediate subiecti sunt, iudicandi potestatem tribuat.

Nec adiuuat iudiciorum imp. iurisdictionem illa pacis Westphalicae sanctio, qua praeter tres approbatas religiones nullam aliam in Sacro Imperio Romano tolerandam et recipiendam esse decernitur \*). Videlicet postquam non de personarum tolerantia, sed de libero religionum receptarum exercitio, praeclara multa in Pace Westphalica cauta sunt, iuraque omnia et beneficia, quae-

cun-

\*) I. P. O. art. VII. §. 2.

cunque pace aeterna data, cum his aequali prorsus ratione communicata sunt: tum illud additur: alias religiones, in Sacro Imperio R. non esse tollerandas, et recipiendas.

Transeo hoc loco, quantum discrimen inter exercitium religionis, quod ex iure reformandi Imperatori vna cum Statibus imp. competente indulgetur per *Imperium Rom. Germanicum*, et inter illud, quod *per territorium* a quolibet Imp. Statu tribui potest, vi iuris reformandi, per territorium competentis. Illud tantum obseruare sufficit, quidquid inest huic Sanctioni, illud omne concernere *religionis exercitium* eiusque iura et beneficia per Imperium Rom. Germanicum. Ad *personarum*, in religione secus sentientium, tolerantiam nec sententia huius sanctionis pertinet, nec eius mens: has tolerare, non est tolerare et recipere religionem, sed illis permittere iura societatis ciuilibus. Haec dare et impartiri per territorium, est ius Statuum Imperii. Quis vero vi istius sanctionis Statibus Imp. negata esse censebit, quae sunt suae vnuscuusque prouinciae regiminis? Quis inde hominibus, secus sentientibus, societatis ciuilibus in Germania ius interdictum esse existimabit? Quam quaeso causam reddes, cur nec *ecclesiae Graecae* affectis eiusque sacris tutelam omnem negatam esse censeas?

Quod vero ad rem nostram vel maxime facit, omnia ista non pertinent ad eos, qui, quos licet error praecipites egit, eadem tamen religionis approbatae societate adhuc continentur.

De his ius dicere, horum decernere censuram, hos arcere ab ecclesiae officiis, iisque permittere vel negare reipublicae et Ecclesiae iura, solius est Principis, qui personam gerit reipublicae et ecclesiae; eiusque prouidentiae relictum est, vtrum moderari iurisdictionem, morbumque leniter tractare, et nocium tantum, doctrinas a religionis formula alienas proponendi et propagandi, licentiam coercere et circumscribere, an vero, ne ingrauescat morbus, periculosam et ancipitem curationem adhibere, ex re ecclesiae et reipublicae esse videatur.

Sed vestram patientiam diutius morari, non patitur officii ratio, eaque huius diei solennitas, cuius explicandae causa in hunc locum descendi. Praesentes sunt *Iurium Candidati*, qui studiorum suorum rationes in Academia nostra ita inierunt, vt, quod est beneuolum et honorificum Ordinis nostri iudicium, digni iudicati sint summis in Vtroque Iure honoribus; quorum conferendorum sparta non modo officii ratione, sed et ea voluptate perfunctor, quae vel expectari potest in patre.

Itaque memor eorum, quae mearum sunt partium, illud eisdem ante omnia monendum arbitror, non contemnenda eorum, qui iustitiae sacerdotes esse profitentur, esse officia, fidemque intermeratam et integritatem in omni iuris vsu desiderari. Quidquid est horum officiorum, illud velut in nucleo exponit formula *iurandi*, ab honorum Candidatis ex legis auctoritate praestandi: quo et vos iam obstringi cupio. Age itaque, Vir Consultissime, qui

qui Academiae nostrae ab Actis es, et iurisiurandi formulam ex Statutorum nostrorum Codice praelege; quam Honorum Candidati tactis academiae sceptris suo mox sacramento firmabunt.

\* \* \*

Quod itaque bonum faustum felix fortunatumque esse iubeat supremum Numen, Sacra Inuictissimi Caesaris Augusti auctoritate, Auspiciis Augustissimis Potentissimi Principis ac Domini GEORGII III. M. Britanniae Franciae et Hiberniae Regis, Defensoris fidei, S. R. I. Principis Electoris et Archithesaurarii, Ducis Brunsvicensis ac Luneburgensis, Rectoris huius Academiae magnificentissimi, Ego GEORGIVS LVDOVICVS BOEHMER, I. V. et Ph. Doctor, Regi a Consiliis Iustitiae intimis, Antecessor iuris primarius, Ordinis Iuridici Prodecanus, ideoque Promotor ad hunc actum rite constitutus, Vos, honorum Candidatos,

Te, *Ioannem Fridericum Eberhardum*, et

Te, *Iustum Ludouicum Bechtholdum*, fratres BOEHMEROS, multis nominibus mihi coniunctissimos,

et Te *Georgium Ludouicum KRVCKENBERGIVM*, Luneburgicum, Iuris Vtriusque Doctores creo, publice proclamo atque renuncio, potestatem docendi iura, interpretandi leges, in Superiori Cathedra standi praesidendique atque de iure respondendi tribuo Vobis atque confero, omnibusque iuribus honoribus dignitatibus priuilegiis immunitatibus atque praerogatiuis, quibus omnes aliarum S. R. I. vniuersitatum rite promoti Doctores vel ex legis auctoritate vel ex consuetudinis iure frui solent, Vos etiam in posterum frui ac gaudere iubeo, idque in Nomine SS. Trinitatis, Dei Patris, Dei

Filii, Dei Spiritus Sancti, cui sit laus honor et gloria in secula seculorum.

Nunc Vos in hanc cathedram superiorem ascendere cupio, in hunc, inquam, locum, quem Imperiali et Regia auctoritate, cum ipsius togae iure, Vobis tributum esse intellexistis.

Saluete, Doctores, quo honorifico nomine tum Vos, dilectissimi filii, tum Te, Vir Consultissime, ego primus laetabunda et gratulabunda mente compello, nouosque honores Vobis auspica-  
tissimos esse exopto.

Nondum Vos dimitto, nouo honore distinctos, sed maiorum nostrorum vestigiis insistens, his symbolis inuestiri cupio, quibus vel ipsa dignitas collata, vel quae cum illa iuncta sunt officia significauerunt.

Itaque ob signo collatos honores solemnitate, ab antiquitate probata, pileumque purpureum, capiti vnus cuiusque Vestrum impono, antiquissimum honoris decus. Hoc ornati res Vestras bene et feliciter agite, iisque commodis fruamini, quae noua dignitas perpetuis studiorum incrementis suffulta impertitur.

En librum, quem euoluo et reuoluo: vt memores sitis, lectione assidua comparari litterarum diuitias. *Hic* legum codices, *illic* interpretum commentarii, *omnes* opimam messem continent, ex qua



qua ornari iurisprudentiae studia, amplificari, et ad patriae com-  
moda transferri possint.

Sed et librum illum claudo: iungenda nempe cum lectione  
est assidua meditatio, quae quidquid est in scientiis arduum et  
difficile, vincit et in quandam familiaritatem deducit, viamque  
sternit tum ad eruendam vim ac potestatem legum, tum ad aliorum  
sententias recte expendendas.

Tandem dexteras vestras praebete, annulis exornandas, an-  
nulis, inquam, auro gemmisque distinctis. En nouum honorum  
indicem, et religiosum simul foederis cum Themide iuncti pignus,  
fideique purae et incorruptae signum, qua estis obstricti ad con-  
stantem et perpetuam voluntatem in iustitiae aequitatisque custo-  
dia commonstrandam.

Iam vos rite inuestitos osculo amplector suauissimo, officii et  
amoris non minus quam et paterni affectus pignore, eoque vota  
sincera pro prosperrimis rerum vestrarum successibus gratulabundus  
obsigno.

Tu vero, *aeternae Deus*, cuius gratiam et beneficia inter sacra  
natalis Academiae anniuersaria pie veneramus, omnibus prosperi-  
tatis cumulibus amplifica hanc Academiam, ut inter incrementa rei  
sacrae et litterariae sub tutela OPTIMI REGIS in dies magis ma-  
gisque efflorescat.

D I X I.



Göttingen, Diss., 1779

ULB Halle

3

008 563 705



4018





1779, 2

GEORGII LVDOVICI BOEHMERI  
ORATIO

de

*Jure cognoscendi et statuendi  
de tolerandis his, qui communes religionum  
in Germania approbatarum doctrinas  
publice impugnant*

P. 269



H A B I T A

NATALIS ACADEMIAE  
VGVSTAE ANNIVERSARIA

SEPT. ANNI MDLXXIX.

C V M

DATIS SVMMOS IN VTROQUE  
ONORES CONFERRET.

E T T I N G A E

. CHRIST. DIETERICH  
CAD. TYPOGR.

